

III. *De carceris qualitate*: Vult Imperator, ne captivi in tali carcere detineantur, in quibus potius crucientur, quam custodiantur: quoniam carcer regulariter habetur non ad puniendos, sed ad custodiendos delinquentes *l. 8. §. 9. ff. de pœn.* Sic enim debet carcer esse comparatus, ut cruciatio desit, & reus permaneat sub fida custodia. *l. 1. C. de Custod. Reor.* Inde non probo opinionem Bartoli, qui in *lib. de Carcere n. 2.* definit Carcerem per locum *Horribilem*, quod ut plurimum carcer delinquentium fit locus subterraneus, omni luce carens, apud Everh. Speckhahn, *Cent. 1. qv. 19. p. 104.* utpote qualis locus potius in pœnam, quam in custodiam incarcerato cedit, quin potius dixerim; *Carcerem esse locum publicum, eum in finem inventum, ut ibi delinquentes custodiri, & haberi possint ad sistendos eos in iudicio, & pœnam promeritam in illis exequendam.* Nihil autem absurdius fieri potest, quam si delinquentes, qui fortean capitaliter vel corporaliter puniendi sunt, prius carceris squalore puniri debeant. Ut proinde meritò improbandi sint illi carceres, qui potius vermibus & serpentibus, quam hominibus convenient, lucis privationem, & subinde torturæ speciem referant. Coler *part. 1. c. 6. num. 111. p. 132. P. E.* Et ex hac causa carcer dicitur *mala mansio, l. 7. pr. ff. Depos. & veluti Torturæ species.* Farinac. *qv. 27. de Carcer, num. 1. pag. 390. Tom. I. Oper. Crim.*

Itaque non tolerandi sunt illi carceres, in quibus homines malè habentur. Menoch. *l. 2. c. 305. n. 2. & 5. de A. 7. Qv. pag. 576.* Carcer itaque esse debet: 1. *Locus tolerabilis*, id est, talis, in quo captivus vivere, vereque & lumine ibidem frui possit, Farinac. *qv. 27. num. 96. p. 403. Tom. I. Oper. Crimin.* neutiqvam verò tam arctè concludi, ut neque ventus neque aër permeare possit. Cothman. *Vol. 3. Resp. 29. n. 117. p. 170. Oldekop. Tit. 3. Obs. 16. n. 14 p. 171.* Quod etiam est conveniens *l. 1. C. de Custod. reor.* Ut proinde valdè peccent illi iudices, qui pauperes ac miserabiles istos homines in caveas horribiles & subterraneas detrudunt, in quibus humiditate & frigore confecti morbum contrahunt & sæpe in vitæ periculum incidunt. Carpz. *part 3. qv. 111. num. 46. p. 100. Et qv. 130. num. 11. pag. 252. Pract. Criminal.* Imò gravibus ponderosis, & magnis catenis eos vincunt. Cothm. *d. Resp. numer. 119. pag. 170.* 2. *Locus ad custodiam aptatus*; id est, talis qui ita sit erectus aut constructus, ut ibidem homo absque detrimento sanitatis custodiri queat. Locus quidem non debet esse ad commoditatem aptatus, ita tamen comparatus, ut ibidem captivus secure custodiri nec effugere vel effringere possit. Nam

Nam